

ter voluntati, et potentia motiva appetitui, et Deus plenior efficaciam de se habet in illas: ergo similiter per ipsam divina voluntas, et scientia habebunt executionem in illas, sine alia media potentia executiva. Et eadem ratione Angeli, quia sunt perfecti spiritus, et ex natura sua ordinati ad regenda, et movenda corpora, ex se habent sufficientem efficaciam, et corpora sufficientem subjectionem, ut ab illis moveantur sine alia potentia executiva intermedia.

X. Secunda pars nostræ conclusionis ex argumentis factis pro sententia Durandi probata manet: constat enim ad distinguendum in ipsa potentia intelligendi vel volendi rationem principii emittentis, et producentis creaturas ad extra sufficientissimum fundamentum intercedere ad distinguendum formalitatem, et rationem principii producentis, licet non rationem potentiae motæ, et obedientis, sive subjectæ dirigenti, sicut exigit potentia executiva quando est distincta in ratione potentiae ab imperante, et dirigente. Itaque respectu effectus ad extra diversa connotatio, et sufficientissimum fundamentum est ad distinguendum principium dandi esse effectui ad extra, aut intelligendi ipsum ad intra, principium actus pure immanentis, aut virtualiter transeuntis, attingentis tam Deum, quam creaturas, et impossibilia, aut solum res creatas possibles dando illi esse, denique principium speculandi aut practicandi cum efficacia ponendi in re, vel solum volendi, et inclinandi in talem rem per modum: id enim est causa producendi, non ipsum producere. Et sicut sapientia, et ars, et providentia distinguuntur inter eandem potentiam intellectivam, ut rationes inadæquatæ ejusdem intelligibilitatis, et virtutis intellectivæ,

et similiter in voluntate sunt diversa attributa ejusdem potentiae, sic vis productiva in intellectu practico, vel in voluntate distinguuntur, ut inadæquata ratio ejusdem potentiae, non ut potentia distincta, et mota a voluntate: importare autem potentiam executivam rationem principii productivi erga creaturas, et sic distinguuntur secundum rationem ab intellectu, ut est principium intelligendi, vel voluntate ut est principium volendi, S. Thomas affirmat hic art. I ad IV et q. I de potentia, art. I ad IX.

XI. Tertia denique pars conclusionis, quod potentia executiva sumpta per modum principii operantis ad extra non sit ipsa volitio libera, licet præsupponatur volitio ad producendum, recte probatur contra sententiam Molinæ a Vasquez hic disput. CII, cap. IV, quia potentia executiva, seu principium producendi creaturas ad extra est aliquod prædicatum necessario conveniens Deo, quia est perfectio intrinseca Dei esse omnipotentem; actio autem libera sub formalitate, et denominatione liberi potest non convenire Deo; ut autem dicit ipsam entitatem actus voluntatis divinæ, quæ necessario est in Deo, sic est ipsamet voluntas per modum actus puri indifferens ad volendum et nolendum, producendum et non producendum; et sic non ipse actus liber, sed ipsa facultas voluntatis erit facultas, seu principium exequendi, ut habet virtutem efficaciter nolendi usque ad executionem. Præterea, volitio libera est causa, et ratio agendi, quia inclinatur ad operandum, et producendum, et sic significatur ut causa actionis, sicut Psalm. XVII: *Salvum me fecit, quoniam voluit me*. Et ad hoc deserviunt ea, quæ supra disputatione quarta late diximus de constitutivo actus liberi, quod non est ipsa connotatio productionis ad extra,

eo quod volitio ante edit productionem tamquam inclinans, et causans illam; et sic facultas producendi non est ipsa volitio libera. Neque volitio significatur per modum facultatis, et principii, sed per modum actionis; et sic si pertinet ad executionem, magis est ut actio executiva, quam ut principium; ipsa vero voluntas erit principium, seu facultas exequendi.

XII. Si inquiras: Ex his duabus facultatibus, voluntatis, et intellectus, per quam proxime exercetur ipsa productio, et omissio creaturarum, respondetur Vasquez hic disput. CII, cap. III, censere quod voluntas est magis immediatum principium, quia appetitus est qui immediate movet, intellectus autem solum excitat, et dirigit appetitum. In capite autem quarto non vult quod imperium intellectus sit ipsa potentia exequens; tum quia existimat talem actum imperii non dari; tum quia si datur est actus liber, qui posset abesse a Deo: ergo non est ipsa potentia, seu principium exequendi ob eandem rationem, quia diximus hanc potentiam non esse ipsam volitionem liberam.

Nihilominus, in hoc quod ipsa potentia non sit actus imperii, ut actus liber est formaliter, libenter cum Vasquez convenio: est enim eadem ratio ac de volitione libera voluntatis. Existimo tamen actionem immediate tangentem, et producentem creaturas esse actum intellectus practicum quo imperat Deus, et ad imperium efficax sequitur effectus: iste autem actus imperii præsupponit antecedenter actum voluntatis et elicitive est actus intellectus, voluntatis autem solum est ut inclinantis, et moventis. Quare facultas, seu principium exequendi pertinet ad vim ipsam intellectivam, quatenus practica, et imperativa, ad quam concurrat ars ut fac-

tiva, et providentia ut præparativa, et idea ut exemplar; et ab his procedit imperium efficax ut actus sua efficacia non solum dirigens, sed etiam efficiens in tempore id quod imperat; et sic talis actus non est facultas ipsa, seu virtus, sed talis virtutis actio, et executio. Quem actum imperii dari, ostendimus supra disput. VII, art. II, agendo de actu in quo consistit prædestinatio, et ostendimus voluntatem non immediate operari ad extra, nisi medio imperio ordinativo, et efficaci respectu effectus faciendi, et latius de hoc agemus I-2, circa quæstionem XIII et XVII. Si ergo ex opposito fundamento Vasquez, oppositum inferimus, nempe quia datur talis actus imperii ab intellectu elicitus, et ex motione voluntatis præsupposita originatus, ut possit operatio ipsa ordinate fieri, et quia efficax est efficacia a voluntate orta, et antecedenti, usque ad effectum ponendum se extendit, quod ibi latius ostendimus, certe D. Thomas opuscul. XI supra citato affirmat, Angelos movere cælos actu intellectus, scilicet ipsa conceptione efficaci, qua practice intelligunt. Et Scriptura indicat Deum per actum intellectus operari, quia: *Ipsè dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt*, Psalm. CXLVIII. Dicere autem est actus intellectus, et mandare est actus imperii: et: *Portat omnia verbo virtutis suæ*, ad Hebr. I: et: *Verbo Domini cæli firmati sunt*, Psalm. XXXII. Bene video, non ita stricte ista loca probare quod Deus oporetur per intellectum, quod debeat necessario intelligi de immediata elicentia, et productione; posset enim dici quod loquuntur de productione mediata, quia ad ipsum dicere intellectus sequitur immediate efficacia voluntatis, sicut etiam aliquando insinuat Scriptura quod ipsa volitione Deus operatur, ut Psalm. CXXXIV;



*Omnia quæcumque voluit Dominus fecit: Judith. ix: Et illud factum est quod ipse voluisti: ad Ephes. i: Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ; et tamen nos exponimus ista loca de efficientia mediata, licet revera non aliud significant, quam quod omnia fiunt ad nutum divinæ voluntatis, sive hoc immediate per voluntatem fiat, sive non. Cur ergo non idem dicemus, quando Scriptura significat quod Verbo Dei, et ipso dicere ejus res fiant? Quare dicimus quod Scriptura tam volitioni quam dictioni, seu imperio Dei attribuit productionem rerum, quia revera ad utrumque pertinet, quoad efficaciam ad voluntatem, quoad ordinationem et dispositionem ad vim practicam intellectus. Sed quodnam ex his sit immediatius productioni, et eliciat executionem effectuum, Scriptura non determinat, sed hoc reliquitur disputationi theologicæ juxta naturam ipsam voluntatis in movendo, et imperii in ordinando, et intimando hanc efficaciam, quod videtur immediatius, et propinquius effectui, quia ipsa efficacia non pervenit neque conjungitur aliis potentiis, vel agentibus, nisi ut manifestata, et ordinata per intimationem talis efficaciam, et hoc facit intellectus.*

XIII. Postremo adverte quod Vasquez, in hac disputatione cii, cap. v contra Cajetanum affirmat per actionem transeuntem nihil novum resultare in agente præter relationem ad effectum vel passum, tum quia Aristoteles dicit v met. cap. xi: « Relationes secundi generis esse tantum potentias, et actiones; » non ergo aliquid novum præter actionem in ipso agente resultans; tum quia alias agens, in quantum agit, moveretur recipiendo illud absolutum, quod de novo consurgit, quod negat Aristoteles iv physicorum cap. iii; tum quia non potest explicari, quid sit

illud absolutum in agente in quo fundatur talis relatio. Sed hæc levia sunt, nec quidquam probant, ut ostendimus iii physic. quæst. xiv, artic. iv. Certe nec ipse Vasquez explicare potest quomodo relatio illa fundetur de novo in agente si in ipso nihil est de novo: nam in ipsa potentia immediate fundari non potest, cum de se sit indifferens ad agendum, vel non agendum, et non semper in ea est relatio ad effectum. Et sic non sufficit poni ipsum effectum in rerum natura, ut consurgat relatio in potentia, sicut posita de novo albedine, consurgit in alia albedine similitudo; quia albedo determinata est de se ad similitudinem cum alia albedine; et sic sufficit ipsam albedinem poni ut terminum: potentia vero non est determinata ad effectum, sed indifferens ad agendum, vel non agendum: indiget ergo in se determinari ut consurgat relatio. Ergo quando est talis relatio, aliquid fundamentum habet præter nudam indifferentiam potentiæ, scilicet modum aliquem quo determinatur, et transit illa potentia de potentia ad actum, de otio ad operationem: et sic manet determinata quamdiu agit; qui modus, aut determinatio, ut ibi diximus, non est actio pro motu, seu actio effecta, et consummata: hæc enim cum termino seu effectu identificatur, sed est, inchoatio actionis, seu determinatio agentis, et actualitas in agendo.

Et ad testimonium primum Aristotelis dicitur quod relativa secundi generis sunt potentiæ, et actiones, sed non potentiæ nudæ, et in statu indifferentiæ ad agere, vel non agere, sed determinatæ, et actualatæ ut ab illis egrediatur actio.

Ad secundum dicimus non sequi, quod agens, in quantum agit, moveatur, sed solum in quantum agit movet; sed si ipsum agens sit in

potentia, et indifferens ad agendum, prout sic etiam indiget mutari, et transire de otio in actum; et sic novitas actionis facit aliquam mutationem in agente, non ut agens, sed prout est exiens de otio in actum, ut inquit S. Thomas ii contra gent. cap. xxxv, et in ii, dist. i, quæst. i, art. v ad 11. Nec tamen etiam agens prout sic in potentia movetur illamet actione, prout est motus, et prout est actio effecta: sic enim non est in agente, sed in passo, ubi est terminus motus, sed mutatur, et actuatur illa actione, prout est actualitas agentis, et determinatio quædam ejus, seu transitus de otio in actum, de potentialitate in actualitatem, et de tali potentialitate in actum movetur ab alio agente a quo excitatur vel applicatur ad agendum, scilicet a Deo, qui ultimo determinat agentia creata, quæ sunt in potentia, et movet illa ad actum, et sic non moventur in quantum agunt, sed ut sunt in potentia ad agendum; et prout sunt in potentia, non moventur illamet actione sua ut motus est, et est in passo, sed illa actualitate, et determinatione, quæ ex applicatione, seu motione superioris causæ determinationis oritur, et in ipso agente inchoat operationem, quatenus removet a se realiter otium, et effluxum effectus inchoat, et constituit agens in statu non quiescendi, et ille status est modus aliquis in agente, qui inchoative est actio, et facit formaliter transire agens de potentia ad actum, cum applicatio, et motio Dei id faciat efficienter; et sic potius est mutatio quædam metaphysica, id est, communis omni agenti, tam physico, quam spirituali, quam motus physicus qui solum est in passo; et de hoc solum negat philosophus moveri agens, ut agens, non de illa

priori, quæ est mutatio agentis, ut in potentia est.

Ad tertium constat ex dictis, quid sit illud novum quod fit in agente, scilicet modus, seu status operandi, quo determinatur, et manet in actu, et non in pura potentia, et otio, quæ determinatio, et modus provenit a potentia ut mota, et excitata, seu applicata a Deo: sic enim reducitur in actum secundum, et denominatur actu operans actualitate intrinseca sibi, dum actu operatur, cum antea esset in potentia tantum, et statu otii, et quietis non agendo; et cum in se intrinsece esset non agens, in se intrinsece debet mutari, ut agens sit, ut citato loco physicorum diximus.

Argumenta Durandi probant secundam partem nostræ conclusionis, scilicet distinctionem rationis in potentia executiva per modum inadæquatæ rationis, et formalitatis principii operandi intra eandem potentiam intellectus, et voluntatis, non per modum potentiæ adæquatæ distinctæ, et subordinatæ efficaciam voluntatis.

XIV. Argumenta vero Molinæ probant actum volitionis divinæ esse efficacem in suo genere, per modum scilicet moventis, et inclinantis ad operandum, et illa efficacia attingit effectum ut actus movens mediante imperio, et mediante ipso dicere intellectus quo immediate tangitur effectus. Non tamen probat ipsum actum esse principium, et facultatem exequendi, sed vel esse ipsam executionem in actu, vel motionem actualem inclinantem intellectum ut dicat imperative, et dicendo operetur. Et sic Deus immutabiliter operatur, et quia vult, non volitione illa ut facultate, et principio, sed ut actione vel movente, et inclinante intellectum, vel actu exequente.